

Q. F. E. S.

6.

A 3 258

1707.1

27.

DISSE^TRAT^IO JURIDICA DE OBLATIONE AD JURANDUM FACTA,

Quam

Occasione L. Ait Prætor 3. pr. ff. de jurejur. &
L. 4. §. 1. ff. de in Lit. jurand.

SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimi

DN. SAMUELIS FRIDERICI
W^ELL^EN^G

J. U. D. Ejusdem ac Historiar. Prof. Publ.
& Athenæi Inspectoris,

Patroni atque Studiorum Promotoris eā, quā par
est reverentiā colendi & de venerandi

IN AUDITORIO ATHENÆI MAXIMO

D. V. Maii Anno MDCCVII.


Disquisitioni Eruditorum Publicæ
submittit

DANIEL VIRCHO, Falcob. Neomarch.

Alumnus Vægedingianus.

GEDANI, Typis JOHANNIS ZACHARIAE STOLLII,
ATHEN. TYPogr.
Disp. XV.





Q. F. F. S.

CAPUT I.

De Legali Sensu Oblationis ad Jurandum.

1.

Rationi consentaneum est, & legibus caver-
tur, quemlibet intentionem suam, in qua
sele fundat probare teneri *L. 4. C. de*
Edendo L. 23. ff. de Probat. §. 4. f. de Legat.
Cum enim non omne, quod quis pro-
ponit aut allegat, semper verum sit, sed
illud quandoque vel prorsus vel saltē pro parte falso, Quilibet intentione suam in qua se fundat probare tenetur.
aut ad minimum dubium, fieret cum summo alterius prae-
judicio, si, quod contra eum allegatur, pro vero admittere-
tur, sine ullis id evincentibus argumentis. Quod in primis
in judicio accideret, ubi Partes Judicem adeunt, ut illis se-
cundum earum intentionem ius dicat, cui tamen non ali-
ter fidem habere potest, quam si istam legitimis mediis &
modis probaverint & veram reddiderint *L. 12. in f. ff. de*
Probat. L. 3. S. 1. & 2. ff. de Testib. L. 4. C. de Sentent. &
Interlocut.

II. Non vero unius generis sunt hi modi, sed illorum
variae dantur species, inter quas sunt Testes, Instrumenta,
Rei evidētia, Confessio & aliae, de quibus vid. Mascard,
de Probat. Vol. 1. qv. 4. Ad has etiam juramentum perti-
net, ad quod, ubi alia deficit probatio, recurrere licet *L.*
Admonendi 31. ff. de Jurejur. L. 22. §. 10. C. de Jure delib. L. 3.
C. de R. C. L. 25. §. 3. ff. de Probat. Rauchbar. *qv. 11. n. 25.*
Franzk. *ad ff. de jurejur. n. 107.* Tabor *Decis. 113. n. 27.*
ita, ut ubi iudex in genere sententiā probationem injun-

A

Dantur va-
rii modi
probandi.

Inter quos
etiam jura-
mentum est.

xix

xit, aut ubi lege vel statuto probatio ab aliquo requiritur, etiam juramento locus esse possit Mev. P. 4. Dec. 6. Barbosa *Thesauro locupl. Lib. 9. c. 126. ax. 20.* Fidem enim maximam illud inter homines conciliat, quod, cum nemo sit, qui Deum non esse credat, etiam nemo existere presumatur, qui vindictam ejus in caput suum, si temerè juaverit, provocare velit, cum ignarus non fuerit, contemptam Jurisjurandi religionem Deum ultorem habere *L. 2 C. de R. C. Schilter Prax. Jur Rom in For Germ Exerc 23 § 7.* Menoch de *Præsumt Lib. 2 præsumt. 60. n. 1. sq.*

*Quod in
omni nego-
tio vim
probationis
habet.*

III. Verum sive veritas rei gesta probanda, sive præcedens actus confirmandus, sive aliquid in futurum sit promittendum, vel etiam res aliqua aestimanda, juramentum species probationis erit. Nihil enim aliud in his negotiis desideratur, quam ut fides fiat, quam si quis juramento facere possit, probasse quoque dicendus erit, si quidem probatio, sive in genere, sive in specie & in sensu juridico consideratur, actus talis est, quo assertum verum esse pronuntiatur. Unde in priori sensu Aristoteles intelligendus est, qui statuit, ad Oratorem pertinere, de re proposita fidem facere 1. *Rhet.* 2. in posteriori probatio definitur, quod sit actus, quo judici fidem facimus controversiae ab eo decidendæ gratia Hahn *ad Wesenb. iit. de Probat. n. 2.*

IV. Singulare vero in juramento est, quod faciat ad probationem eorum, quæ in animo consistunt, & quæ alio modo probari non possunt Seraphin. de Seraphinis *de Privil. Juram. Privil. 1. n. 3. 15. & 58.* Mascard *de Prob. V. 2. Concl. 88. n. 2.* Barbosa *Thesaur. Lib. 1. c. 62. axiom. 1.* Nihil enim horum in sensu alterius incurrit, de quibus an in bonam an in malam partem accipi debeant, judicari nequit, & tamen necesse est, ut constet de illis. Unde dum saepè ad

*Per Juram
probari pos-
sunt que in
animo con-
sistunt.*

OBLATIONIS AD JURANDUM.

3

ad aliam mentem provocatur, quam referunt actus externi, scilicet dicta aut facta, certum esse debet, an actus interni etiam convenient cum actibus externis. Itaque juramentum modus talis est, per quem jurans sensa mentis exprimit, eaque ita esse verbis enuntiat, ut & vera esse existimanda sint. Nam quia jurans hoc quod mente cogitat sub obtestatione Numinis Divini verum esse pronuntiat, probat alteri, hoc quoque ita sese & non aliter habere, quoniam per Deum omniscium & omnipotentem jurata attestatur, & ejus vindictam in se exerceri postulat, si aliter velit ac sentiat, quam per verba juratoria alteri fidem fecit.

V. Evidem malitia hominum fit, quod quandoque jurans proferat quidem verba jurantia, sed tamen in animo suo sibi reservet, quod nolit obligari, aut quidem adhibeat verba in jusjurandum concepta, sed tamen sine animo jurandi, qualia Reservationes mentales appellare amant, & eas, si non in genere, tamen in casu necessitatis, ubi innocens a morte liberandus, vel aliud irreparabile periculum declinandum, nonnulli ut licitas defendunt. Verum cum tendant ad decipiendum alterum, & sint contra naturam juramenti, quæ non finit aliud cogitare & aliud voce proferre, sed vult ut veritas exprimatur, pro re illicita illas habemus. Gerbet de Cautel. Jurament. in Judic. observ. Sect. 3. c. 2. M. 2. Casu 1. n. 15. seqq. Convenienter hac de re Isiodorus in c. 60. C. 22. qu. 5. his verbis utitur: *Quaecunque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientia testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit, Dupliciter autem reus quis sit, & Dei nomen in vanum assument, & proximum dolo caput.* Proinde ne quidem in casu necessitatis, & ubi gravissimum periculum evitandum, aliud cogitare, & aliud ore proferre licebit, quia perjurii notam hoc continet, quod propter animæ salutem, cuius potissimum

*Rejiciuntur
Reservatio-
nes menta-
les*

A 2

ma

ma ratio habenda, nunquam licitum dici potest Illustr. Dn. Stryk. de *Jure Sensi. Diff. 10. cap. 3. n. 33. seqq.* Balduin. *de Casib. Conse. L. 2. c. 9. casu 7.* Interim tamen ex tali promis-

*"Quibus
non obstan-
tibus ex ju-
ram: tamen
fluit obliga-
tio.*

fo jurato nihilominus jurans obligatus erit, quia effectum, veritatem scilicet ab altero spectatam, qui ex juramento sequitur, intentione sua impedire non potest. Necesse enim est, ut sequatur obligatio, ubi signis externis animum nostrum alteri indicavimus, & is illam acceptavit. Alias omnis ratio sepe obligandi ex humana vita tolleretur, si quis posset sua intentione impedire, ne actum sequatur effectus ille, cui producendo institutus fuit Franzk. *Lib. 2. Resol. 2. Peril-
lustr. Dn. de Rhetz Comment. in Jus Fend. Lib. 1. tit. 4.
p. 205.*

*Juram: de-
finitio.*

*Dividitur
in Confir-
matorium,
Promissori-
um & De-
cisorium.*

VI. Ex dictis colligere licet, juramento magnam vim inesse, cuius definitionem, ut constet quid sit, præmittere, operæ pretium erit. Ita vero illud definimus, quod sit: *Religiosa rei alicujus asseveratio, in cuius maiorem fidem Deus ipse ut ulor & vindex persidia invocatur.* Ratione finis, qui est ut per illud fides alteri fiat, & ratione formæ, quæ consistit in invocatione Nominis Divini, omne juramentum unius generis est, verum ratione objecti dividitur in Confirmatorium, Promissorium & Decisorium. Illud est, quod actuū aliquem in se perspicuum & separatum præsupponit, illiusque confirmandi gratia adjicitur *L. r. C. Si ad-
vers. vendit.* Istud vocatur, quo in futurum aliquid pro-
mittitur, atque vel de sola fide tantum interponitur,
& est vel judiciale, quod Judicium respicit, quodque præ-
stant Judex, Assessores, Advocati &c. vel Extrajudiciale,
quod respicit causas extrajudiciales, easq; tam publicas, quorū
spectat Homagium, Vasalliticum, &c. quam quasi pu-
blicas, quale est Tutorum, Curatorum &c. Vel simul obli-
gationis inducendæ gratia præstatur, quod promissorium
in

in specie dici solet Lauterb. *Coll. Theor. Praet. tit. de Jurej.*
§. 33. Franzk. *ad ff. d. 2. n. 45. seqq.* Hoc scilicet Decisorium
 est, quod super rebus controversis decidendis interponitur;
 vel indirecte, ut Juramentum Calumniæ, Testimoniale, &c.
 vel directe, ut juramentum in item, vel Juramentum li-
 tis decisorum conf. Commentatores *ad tit. ff. de Jurejur.*

VII. Hoc litis Decisorium iterum dividitur in *Volunta-*
rium, quod per modum conventionis à parte parti extra ju-
 dicium desertur, aut nondum suscepsum refertur *L. 17. pr. &*
L. 39. ff. de Jurej. Judiciale quod à parte parti in judicio
 comprobante judice litis decidenda causa desertur *L. 12. §. 1.*
C. de R. C. aut delatum refertur *L. 34. §. 7. ff. eod. & Ne-*
cessarium, quod Judex in causis dubiis inopiat plenæ proba-
 tionis, causa cognita desert uni Partium *L. 3. C. eod.* Et
 quidem si ei deferat, qui semiplenè probavit ut per id per-
 fecta fiat probatio & causa dubia decidatur, vocatur *Supple-*
torium *L. 31. ff. d. 1.* si autem ei, contra quem præsumtio-
 nes semiplena probatione leviores militant, ut illas elidat,
 & causa dubia decidatur, vocatur *Purgatorium* Juramentum
c. fin. §. fin. X. d. 1.

VIII. Confirmatorium Juramentum Jure Civili actum
 validum corroborat, ut rescindi non possit *L. 1. & Autb.*
seq. C. Si advers. vend. Actum vero ex conditione personæ,
 vel ex singulari aliquo & speciali jure invalidum non Jure
 Civili, sed tamen Jure Canonico corroborat, ut valeat *c. 28.*
X. de Jurej. Ex defectu autem requisiti essentialis vel qua-
 litatis objecti invalidum, nec illo nec hoc jure convalidat,
 sed tale juramentum tanquam contra bonos mores præstitum
 & ut vinculum iniquitatis vim omnem & robur suum perdit
L. 5. C. de LL. L. 7. §. 6. ff. de pacz. Nov. 1. pr. c. 28.
C. 22. qu. 4. c. 28. dr R. J. in 6. c. 25. 27. seqq. X. de Jure-
jur. Setser. de Juram lib. 2. cap. 3. n. 3. & cap. 4. Strauch.

A 3

in

Decisorium
dividitur
in Volunt.
Judic. &
Necessari-
um.

Hoc rursus.
in Suppleto-
rium &
purgato-
rium

Effectus ju-
ramento-
rum.

in Jure Just. Diff. 25. §. 25. ibique not. Promissorium Juramentum Jure Civili in ordine ad Hominem non magis obligat, quam nudum pactum, adeoque nec actionem producit arg. L. 35. S. 1. ff. de Jurej. L. 95. §. 4. ff. de Solut. Jure verò Canonico, quod in Praxi sequimur, si citra dispensum aeternæ salutis servari possit vim obligationis & actionis tribuit c. quanvis 2. de Pac. in 6. c. 9. X. de Jurej. Magnif. Dn. Höppe Comment. Inst. ad §. 11. f. de Act. Struv. S. f. C. Ex 17. th. 21. Decisorii Juramenti priores due species vim Transactionis continent, quæ etiam ejus inter Partes effectum largiuntur, ut contraria probatio ne rescindi non possint L. 2. ff. L. 1. C. de Jurejur. §. 11. f. de Act. L. 19. & 20. C. de Transact. Sed necessario juramento usque eo veritas probata censetur, donec contrarium ex repertis instrumentis doceri possit L. Admonendi 31. f. de Jurejur.

*A delatione
& præstati-
one jura-
menti vis
omnis ejus-
dependet.*

IX. Accipit verò omne juramentum virtutem suam à delatione & præstatione, & illius formam absolvit consensus Partis vel sententia Judicis, hujus vero ipsius Jurantis secundum solennitates debitas enunciatio L. 12. §. 1. C. de R. C. L. 4. §. 1. ff. de in lit. jur. Cum enim Juramentum species Probationis sit, necesse quoque est, ut, instar aliarum probationum, à judice vel parte approbetur & admittatur. Nam horum maxime interest, acceptari juramentum à tali, quem ex animi intentione secundum veritatem juraturum existimant. Multi enim sunt homines, qui contemptu religionis ad jurandum, imò & ad pejerandum perfaciles sunt, alii contra perquam timidi, metu Numinis Divini ad superstitionem usque à juramento abhorrent L. 8. pr. ff. de Condit. Instit. Unde demum videri potest jurasse, qui provocatus est ad jurandum, eique quasi necessitas ad hoc imposita, nam hoc est propriè deferre seu

seu dictare juramentum L. 28 §. ult. ff. de Jurejur. Carpz.
P. 1. C. 12. Def 34.

X. Consequens itaque est, non posse aliquem se sponte ad jurandum offerre, & nihil valere, quod ita juratum. *Hinc nemo Hac de re Ulppianus JCtus in L. Ait Prator. 3. pr. ff. de se adjuran- Jurejur. verba sequentia profert : AIT PRÆTOR, dum of- SI IS CUM QUO AGETUR, ferre potest CONDITIO- NE DELATA JURAVERIT. EUM, CUM QUO AGETUR, ACCIPERE DÉBEMUS IPSUM REUM. NEC FRUSTRÀ ADJICI- TUR CONDITIONE DELATA, NAM SI REUS JURAVIT, NEMINE EI JUS JU- RANDUM DEFERENTE, PRÆTOR ID JUS JURANDUM NON TUEBITUR: SIBI ENIM JURAVIT: ALIOQUIN FACILLI- MUS QUISQUE AD JUS JURANDUM DE- CURRENS, ONERIBUS ACTIONUM SE LIBERABIT. Eandem sententiam idem JCtus repetit in L. 4. §. 1. ff. de in Lit. jurand. quanquam strictioribus verbis. DEFERRE AUTEM inquit JUS JU- RANDUM JUDICEM OPORTET, CÆTE- RUM SI ALIUS DETULERIT JUS JU- RANDUM, VEL, NON DELATO, JURA- TUM SIT, NULLA ERIT RELIGIO NEC ULLUM JUS JURANDUM, ET ITA CON- STITUITIONIBUS EXPRESSUM EST IM- PERATORIS NOSTRI ET DIVI PATRIS EJUS.*

XI. Ipse JCtus sententiae suæ rationem reddit, quod, si ad jurandum se offerre liceat, facillimus quisque sit fu- turus, qui hoc modo adversario actionem adimat, quod iniquitate non careret. Nam ut nemo suo facto obliga- tionem

*Rationes
hujus sen-
tentie.*

tionem tollere. L. 26. ff. de Recepe. qui arbitr. recip. L. 2.
 §. 5. in f. ff. de Judic. ita etiam nemo facto suo & libero
 arbitrio ab oneribus actionum, quibus urgeatur, se libe-
 rare potest. Accedit quod suspectus sit ille, qui ita se
 offert, non minus acis, qui ad testandum non rogatus se
 ut testem obtulit, aut qui operas invito alio ingerit arg.
 L. 25. ff. de Procurat. Grube de Processu Judic. c. 17. n. 160.
 Gothofr. in not. ad L. 3. ff. de Jurejur. lit. X. Turpe etiam
 ac demens videtur se ipsum ut fide indignum accusare, quasi
 opus habeat firmitatem dictis suis ex juramento afferre.
 Et ob has tam evidentes rationes Dd. quoque hanc rem
 ita applicant, inque eam sententiam concedunt. Carpz.
 d. Def. 34^a Mev. ad Jus Lubec. P. 5. Tit. 8. art. 1. n. 2.
 Beneckendorff ad Serapin. de Privil. Juram. Privil. 31.
 n. 45. Beust de Jurejur. ad L. Admonendi n. 102. Faber Ra-
 tional. ad Pandect. tit. de Jurej. L. 3. pr. Paul Buß. Com-
 ment. ad ff. d. L. 3. pr. Martini Comment. Forensi Ord. Jud.
 Saxon. Tit. 18. §. 9. n. 3. seqq. Setser de Jurament. Lib.
 4. c. 2. n. 2. Tabor de Indic. delict. §. 37.

Jurament.
sponte præ-
stitum non
probat lega-
tia impedi-
menta.

Nec ex eo
actio oel ex-
ceptio da-
surjuranti.

XII. Itaque sponte præstitum juramentum non aliter
 estimandum ac id, quod datum sed non præstitum fuit,
 quod pro non præstito habetur. L. 4. §. 5. ff. de Jurej.
 Exinde usus in foro multiplex esse potest. Qui dilatio-
 nem à judice impetravit, & ob impedimenta non usus est
 illà, et si sponte juret, quod impeditus fuerit, tamen tale
 juramentum non relevat Beust de Jurejur. ad L. 3. ff. d. 1.
 n. 8. & 12. Qui sponte juravit, nec actionem nec exce-
 ptionem, quæ alias ex voluntario juramento competunt
 L. 9. §. 1. ff. d. 1. §. 11. J. de Act. §. 4. J. de Except. con-
 sequitur. Quia enim mutuo utriusque partis consensu vo-
 luntarium juramentum præstatur, subintelecta conditione,
 ut illud servetur, iste effectus ex illo pullulat, at ubi quis
 sponte

OBLATIONIS AD JURANDUM.

sponte juravit, alterius consensus deficit, hinc sine tali effectu non alteri sed sibi soli juravit Magnif. Dn. Hoppe

Comment. Inſt ad §. II. f. de Aet.

XIII. Vice versa nec alteri, cui ex spontaneo jura-
mento aliquid promittitur, vel in cuius gratiam sponte
jurans se obligat, aliquid juris exinde acquiritur, quia sibi
noluit jurari. At si ex post facto juramentum ratihabeat,
non dubitandum jus aliquod ratihabenti ex eo accedere, si
ratihabitio fiat, antequam jurans illud revocaverit. Per
ratihabitionem enim juramentum accipitur, quæ, quando
Lex consensum non requirit pro forma actus certo tem-
pore, ad tempus aetus seu negotii gesti retro trahitur, &
illo tempore consensus adfuisse presumitur. *L. fin. C. all*
Sct. Maced. L. I. §. 6. ff. Quod iussu L. 12. §. ult. ff. de
Solut. Sande Commentar. in Tit. de Reg. Jur. ad L. 60. Nec
tunc amplius jurans ad nullitatem juramenti provocare
potest, quia ejus consensus duravit, cum quo postea acce-
dens consensus alterius partis conjungitur. Insuper nullum
est spontaneum juramentum favore illius, qui in illud non
consenserat, haec vero nullitas cessat, si velit is cuius fa-
vore sancta est Huber *Praelect. ad ff. tit. de dolo malo. §. 4.*
in f. Dn. de Rhetz. in Medit. Inſtit. Diff. 21. th. 9.

XIV. Liceatne vero juranti, priusquam alter juramen-
tum acceptavit, revocare illud, & obligationem, ad quam
sele adstrinxerat, pro arbitrio iterum dissolvere, quæstio
est, quæ à nobis hic resolvenda? Quamvis vero alias non
liceat consilium suum mutare in præjudicium alterius *L. 75.*
ff. de R. f. hic tamen, quia cum effectu-juratū non fuit,
nec obligatio aliqua adfuit, dici non potest jurantem mu-
tare animum in præjudicium alterius. Totum enim ne-
gotium nullum est *L. 3. pr. ff. de Jurejur.* hinc etiam nullæ
sunt ejus qualitates & effectus, nam hoc jure utimur: *ut*

B

ca

*Neg alteri
cuijuratū
jus acquiri-
tur.*

*Nisi jaram.
ratisbabeat.*

*An sponte
jurans re-
vocare pos-
sit juram?*
Aff.

ea quæ lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum iniuria, sed pro infelis etiam habeantur L. Non dubium s. pr. C. de LL. Proinde si jurata jurans servare non velit, nec reus perjurii dici poterit, quia fregisse dici nequit jura-
mentum, quod non fuit Faber *Rational. ad L. 3. ff. de Jure
jur.* In conscientia tamen à peccato immunis esse non
poterit, quia inverecundè Nomen divinum in vanum af-
sumit, & verum non reddit, quod facturus tamen sub
illius obtestatione pronuntiayerat *arg. c. 2. de Paet. in 6.*

*Inprobatur
mos se offre-
rentium ad
jurandum
superre ex-
igua.*

XV. Hac occasione mos ille considerandus venit, qui apud multos invalidit, quod super re quacunque aut causa futili & nullius aut exigui saltem valoris se promptos offerant ad jurandum, & linguam jurantem exhibit ubi nulla est necessitas. Nihil enim frequentius est hisce quam ut dicant: *Ich wolte wol schweren er werde verspielen,* *er werde nicht Worte halten/ich schwere er habe nicht das Herz es ihm zu sagen / &c.* Perversus ille mos est & temeritatis plenus, qui hominis levem animum satis indicat, ut quia non curat jurare, etiam non curaverit pejerare, quem morem ipse Salvator satis severè prestrin-
git & graviter prohibet *Matth. V. 34. seqq.* dum apud Ju-
dæos cum familiarem reprehenderat, utpote qui jam illo
tempore peccatum esse non putabant, temerarie & ex
levitate jurare. Si jurandum est, causæ gravitas adesse debet, & animus in jurante, quod malit aliter quam jurando
quid attestari. Honestæ enim est verecundia eorum, qui metu Nominis Divini non facile jurant *L. 27. verb.* *Neg-
ativi
animi C. de Fide instrum.* Balduin. *de Casib. Consil. Lib. 1.
cap. 9. cas. 4.* Brunnen. *Consil. 97. n. 62.* Setser *de Juram.
Lib. 1. o. 2. n. 23.* Certe quomodo verum facere poterit
jurans, quod in potestate sua non est, aut quomodo fu-
tura adeo religiosè prænuntiare poterit, quæ ab eventu
depensi-

OBLATIONIS AD JURANDUM.

¶

dependent. Si juramento rei minimam promisit, illam prestare poterit, & obligatus est, ut præstet Balduin. *d. t. Cas. n. Zoef. ad ff. tit. de Jurej. n. 76.* Andr. Vallenf. *Paratitl. Decretal. d. t. §. 4. n. 1.* at à casu vel arbitrio alterius provenientia exhibere, non sunt in potestate nostra & juramento asseverare talia vanum est & temeritatem habet. Richter *P. 1. Decis. 8. n. 46.*

XVI. Paulisper jam ad præcedentia redeundum est, quibus supra dictum fuit delatione opus esse, ut juramentum valeat. Delatum autem adhuc erit, quando ob inopiam probationis ab adversario petit probaturus, ut sibi deferat juramentum, quia ita magis ex arbitrio alterius expectat delationem, quam ex suo offert præstationem *arg. L. 4. pr. ff. de in lit. jur. Gerbet de Cantel. Jurament. in judic. observ. Sect. 9. cap. 3. Posit. 6. n. 23.* Hinc qui vi aut injuria ab aliquo damnum passus est, & petit juramenti delationem, ut illud mediante eo aestimet, ad delationem alterius jurat *L. Si quando 9. C. Unde vi. Aequè ita jurat, qui juramentum in item sibi deferri postulat,* quando de rei suæ restitutione agit contra eum, qui dolo fecit, quo minus ille agenti restitui possit *d. L. 4. Paul Buss. Comment. ad Pandect. ad L. 3. ff. de Jurej. jr.*

XVII. Videamus tamen an nunquam plane juramentum valeat, ubi non delatum fuit, an vero nonnunquam subsistere possit, si sponte sit oblatum & præstitum. In Saxonia Juris est, quod is, qui jussus per sententiam jurare, intra octo dies à tempore lapsi descendii, quo sententia vires rei judicatae consecuta est, computandos ad jurandum se offerre debeat, sive juramentum necessarium à judice impositum fuit, sive judiciale à parte delatum, & si hoc delatum offerens simul curare debet, ut citetur deferens & prius de calumnia juret, ac videat jurari super

B 2

causa

*Ubi petenti
defertur
juram. ad-
hoc a dela-
tione de-
pendet.*

*In Saxonia
jussus per
sententiam
jurare se ad
hoc intras.
dies offerre
debet.*

causa principali Carpz. P. 1. C. 12. D. 6. & 13. Lange *Isgog.* ad Procesf. Civ. & Saxon. cap. 45. n. 3. seqq. Qui non observavit hoc & intra dictum terminum ad jurandum se non obtulit, ad hoc non amplius admittitur, sed juramentum pro deserto habetur, ac lis secundum eum datur, cui jurari debuit, scilicet, ut Reus si actor jurare debuit, absolvatur, Actor vero, si Reus non juravit, consequatur id, ob quod actionem instituit Carpz. d. l. *Dfo.* 19.

*Oblatio hac
Saxonica,
non est sponte-
tanea.*

*Ostende-
mus etiam
spontaneam
oblationem
ad jurandū
esse licitam.*

*Dd. Regu-
lam supraſ.
ioſeq. propo-
ſitam varie
limitant.*

XVIII. Res ipsa docet exigere Jus Saxonum oblationem ad jurandum in casu, ubi juramentum jam à parte delatum vel à judge per sententiam injunctum, adeoque oblationem non spontaneam, sed à lege injunctam, & fatali termino circumscriptam definire, ne præstatio injuncti juramenti pro arbitrio jurare jussi differatur. Nobis hic animus est, de Oblatione spontanea agere & ostendere, eam etiam salvis Legum verbis menti & rationi Juris optimè congruere; indeque justam & legalem esse. Certum enim, non tantum in Legibus contineri, quod verbis illarum expreſſum, sed & quod est sub earum ratione, quia Leges scire non est verba earum tenere, sed vim & potestatem. *L. Scire 17. ff. de LL.* Id autem ostendi oportet beneficio interpretationis, quæ idoneis argumentis, ex regulis interpretandi petitis, nititur, quibus de voluntate Legislatoris præsumptive judicari solet.

XIX. Qui Juris regulam: à delatione juramenti vim omnem ejus pendere, & offerentem sese ad jurandum, suspicium videri. vid supra §. 10. & 11. latius patere putant quam ejus sententiam, cum videant in aliquibus casibus oblationem ad jurandum non esse injustam, illam ita temperant & limitant, ut non procedat (I) si Statuto spontanea illa oblatio approbetur, quemadmodum *Jure Lubecensi* P. 5. Tit. 8. art. 1. approbata in verbis: Wenn einer beschus- diget

diget wird / und er sich erbent mit seinem Ende sich der That zu entlegen. Wil er alsdenn seinem Erbieten nicht nachkommen/ so ist er dem Gerichte in die Straffe gefallen. Illa enim tali statuto ut justum & utile remedium esse putatur, quo reus conventus item evadere potest Mev ad Ius. Lubec. d l. n. 4. & 5. (2.) Si judex connivendo eam approbet, quia interloqui videtur non repellendo à præstatione juramenti se sponte offerente, & juramentum præstitum probare intelligitur iussu tacito Carpz. l. 3. Respons. 52. n. 3. Martini Comment. Forens. Ord. Jud. Sax. Tit. 18. S. 9. n. 5. (3.) Si homo sit cordatus & temerariis juramentis haud assuetus, qui ad jurandum sese offert Tabor. Vol. 2 Tractat. de Tortur. & Indic. Delict. §. 38. in f. p. 488.

XX. Utut vero hæ limitationes non improbandæ sint, nobis tamen placet, non adeò strictem justitiam oblationis ad jurandum concipere, sed quodam generaliori sensu, & quidem per modum generalis regulæ, nempe: *Ad omne Juramentum Legale posse aliquem se licite offerre.* Inter alios approbant hanc regulam Beust. de Jurejur. ad L. 3, ff. de jurej. n. 15. Setser. de Juram. l. 4. c. 16. n. 4. Dn. Stryk. in not. ad Lauterb. tit. de Jurej. p. 185. verb. Petersibus Müller ad Stryw. Ex. 17. th. 42. lit. z. Martini d. l. n. 7. Mev. d. l. n. 6. eaque optima ratione juris nititur, quod legalia juramenta sint ad fidem faciendam vel item decidendam à Legibus proposita remedia, quia vero in Leges, utpote sanctas L. 9. C. de LL. nulla cadit suspicio, nec suspectus erit quasi cum affectatione facere videatur, qui ad hoc se offert, quod omni jure permissum est & judex facere cogitur L. Nullus 55. ff. de R. J. Certe non minus licita ad hoc legale juramentum oblatio videri potest, quam est illa quæ fit ad juramentum per judicem delatum, quia utroq; casu illud vel per legem vel per judicem sanctū medium est. vid. supr. §. 17.

Proponitur
generalis
regula li-
cite obla-
tionis.

Declaran-
zur L. 3.
pr. ff. de Ju-
rej. & L. 4.
§. 1. ff. de
n. 15. pr.
Movemur hoc statuere,
quod ipsa L. 3. pr. ff de
Jurejur.
cum praecedentibus duabus tantum de voluntario
juramento agat, ad quod etiam in primis adjecta ratio
pertinet. Et cum judiciale juramentum etiam à parte parti
deferatur ac in plurimis & potioribus punctis cum voluntario
conveniat vid. L. 26. §. f. ff. de Jurejur. L. 8. C. de R. C.

idem ejusdem qualitatis ac juris aestimandum erit. Gravissime tamen nobis obstare videtur supra alleg. L. 4. §. 1. ff. de in lit. jur. quæ de juramento legali, scilicet in item, agit, & tamen negat his verbis : *ceterum si alius detulerit jusjurandum, vel, non delato, juratum sit, nulla erit religio, nec ullum Jusjurandum sponte oblatum valere.* Verum si naturam hujus juramenti inspiciamus, quæ est, quod demum sit praestandum si de rei aestimatione non aliundè constet, L. 4. §. 2. L. 5. §. 1. ff. d. t. apparel, non tam formalem delationem quam praestationem ibi urgere J Ctum, nempe ne praefletur sine prævia cause cognitione an opus sit aestimatione & quanti res taxanda, ut evitetur immensa aestimatio jurantis d. L. 4. §. 2. Si itaque actor non supra modum rem debitam aestimeret, aut eam judex ipse aestimaverit, juramentum in item secundum leges praestari poterit, ad quod praestandum si actor sece offerat, non rejiciendus erit, quia idem agere intendit, quod jus in tali casu postulat. Proinde non tam fit contra legem spontanea ad hoc juramentum oblatio, quam cum immensa vel non necessaria taxatione praestatio.

Rubri. Ety-
men **XXII.** Atque jam memorato fundamento stat Themæ nostrum, cuius explicationem pluribus dabimus in sequentibus. Ne vero nodum injiciat vocabulum oblatio, quod

quod varia significat Martini Lexic. Philolog. d. voce nos id pro actione offerentis accipiemus *eine Anerbietung*/ derivatum à verbo offerre, quod itidem spontaneam actionem significat L. 53. ff. de Fidei Libertat. L. 2. C. de Jure Emphyteut. L. ult. §. 2. C. de Re milit. lib. 12. Verbum *jurare* à jure communite deducitur, quod id, quod juratur, pro lege sit habendum, & veluti jus sancte servandum. Ex illo substantivum juramentum fluit, quod an ita enunties an *jurandum* appellaveris, sine subtilitate. discriminis, de qua Setfer de *juram.* l. 1. C. 1. n. 3. nobis perinde esse poterit.

XXIII. Restat realis Definitio, quia materiam nostram includamus. Oblatio itaque ad *jurandum* nobis est: *Spontanea Juramenti illius qui debuit jurare non expectata Parvis vel Judicio delatione, exhibito.* Illam largiori quodam sensu hic exhibere volumus, ut adhuc offerre juramentum sit, licet sit alterius intentio ut juret, dummodo non deferrat. Et adhuc oblatum juramentum hic appellabimus, si casus sit, ubi quis lege *jurare* tenetur, ut subditus, vasallus, qui cum posset effectum *juramenti* evitare, quando querit eundem, adhuc sponte *juramentum* suscipit. Nec non oblatio ad *jurandum* aderit, licet præstationem *jurisjurandi* judex ad præscriptum formulam exigat, quia præstatio ab oblatione distincta est, & hanc illa sequitur.

Definitur
oblatio ad
jurandum.

Eius hic la-
tior sensus.

CAPUT II.

De *Juramento Legali & Speciebus ejusdem.*

I.

Legale à Lege nomen accipere, dubitari non potest. Legis autem nomen involvit omnem conventionem aut iussum Superioris actiones hominum disponentem. Itaque Legale Juramentum nobis est tale, quod Lex ipsa vult præstari

Definitur
Legale Ju-
ramentum.

in

in casibus à Lege spectatis, quodque illa desert homini vel immediate, vel mediante facto seu delatione judicis. Sive verò Lex aliqua fundamentalis sit, que pro securitate Rerum publicarum Regentes ad jurandum disponit, sive sit Jus commune, quod communiter in casibus quibusdam cives jurare jubet, causa erit, ex qua juramentum legale nascitur. Et ad hoc producendum etiam Statutum causa dici potest, quia Statuentes statutis suis non minorem vim tributam volunt, quam Legibus suis Legum conditores. Mev. ad *Jus Lubeck.* P. 5. Tit. 8. art. 1. n. 6. Martini *Comment. Forensi* Tit. 18. Ord. Sax. §. 9. n. 7. Unde omnia Juramenta Jure communi incognita, & in Statutis ordinata, rectè legalia dici putamus.

*Quod est
vel Extra-
jud. in cau-
sis publicis
ne I. Juram
Electorum.*

II. In recensendis potioribus speciebus Juramenti Legalis initium faciemus ab Extrajudicialibus, tam publicas quam privatas causas concernentibus, deinde de Judicialibus agemus. Inter extrajudicia Juramenta causas publicas spectantia referimus Juramentum Electorum, quod præstant in electione Regis Romani. Postquam enim Elector Moguntinus, ut Electoralis Collegii Decanus, intra mensam à primo die, quo rescivit mortem Imperatoris, singulis Principibus Coëlectoribus electionem futuram significavit, eosque Francofurtum ad Mœnum vel in alium locum convocavit, ut intra tres menses, à die intimationis computandoes convenient & de novo Rege Romano eligendo consultent ac vota faciant A. B. cap. 1. §. 19. Schütz. *Coll. Jur. publ. Exerc.* 2. th. 10. Dn. de Rhetz. in *Inst. Jur. publ. Lib.* 1. tit. 4. §. 15. quando ibi convenerunt ipse Electores vel eorum Nuntii, ac primum de confiencia Capitulatione & aliis deliberarunt, certumque diem designarunt Electioni instituendæ, indicta die ad Aedes sacras accedunt, & paratos se offerunt ad jurandum de idoneo

Capite

Capite Populo Christiano eligendo A. B. c. 2. §. 2. Primo quidem Elector Moguntinus juxta formulam à Coloniensi prælectam juramentum præstat, postea ille idem reliquis præstandum prælegit, & à singulis illud excipit primo à Trevirensi, deinde Coloniensi, Rege Bohemiæ, Electore Bavariae, Saxoniae, Brandenburgensi & Palatino, hodie novemviratu introducto postremo ab Electore Brunsvicensi S. J. R. Archivexillifero Oldenburger *Linnæo Encl. lib. 1. cap. 14. §. 21.* Schütz. d. l. th. 14. lit. B. Nec hoc juramentum cum prælegitur deferri putandum est, nec delationem postulare videntur A. B. c. 2. §. 2. verba: *At ArchiEpiscopus Moguntinensis formam juramenti eis dabit, & una cum ipsis, & ipso vel absentium Nuntii, una cum eo juramentum præstabunt.* Cum saltem usitatæ formula prælectionem contineant. Ad juramentum se sponte Electores offerunt, tanquam consequens actus Principalis, scilicet Electionis Regis Romani, quem congregati instituunt.

III. Post electionem electus Rex Romanus Juramentum præstat de Capitulatione sibi oblata servanda vid. *Capit. Leopold. & Josephi §. §. ult.* In arbitrio enim est electi Capitulationem acceptare, aut Imperium sub adjectis conditionibus oblatum repudiare, quod fecit Eduardus Rex Angliæ **1346.** contra Carolum IV electus, & Fridericus Mifnensis Friderici admorsi filius Hermes in *Fasciculo Jur. publ. cap. 9. n. 7.* Quando Imperium acceptat, ad juramentum etiam se accingit, ut eo tanquam evidenter mentis suæ indicio, se suis talem, qualem volunt & sperant, probet & obstringat Reinking. *de Regim. Secul. & Eccles. Lib. 1. class. 3. cap. 9.*

*III. Electi
Regis Ro-
mani.*

IV. Subditorum Homagium Juramentum Legale est, quod in ingressu Regiminis novo Domino, vel quoties quis fit subditus præstatur. Schütz. d. l. V. 1. Exerc. 6. th. 17. lit. a

*III. Homa-
giuumSubdi-
torum.*

lit. & Brunnem. *Confil.* 2. n. 50. seqq. Non inducit obligacionem subditi jurantis, sed eam quae jam est in subdito tantum exponit, cum licet hoc juramentum non praestaretur, tamen subditus statim ab ipso ortu eam Principi suo deberet. Unde Jurando lubens confitetur subjectionem & Principis sui superioritatem in se ipsum Reinking. d. l. lib. 1. class. 5. cap. 4. n. 6. Dn. Becman. *Medit. Polit.* cap. 19. §. 6. & *Polis. Parall.* cap. 19. §. 7. Cum eo convenit juramentum quod prestant Cives Magistratui suo, & eo mediante Magistratui obsequium & observationem Salutis publicæ pollicentur. Ab homagio tamen distinctum est, quod hoc immediatam & universalem subjectionem erga summum in territorio habentem imperium arguat, civium vero juramentum tantum obedientiam, quam ad Jurisdictionem opus est, ut boni civis officium impleatur ab eo, qui inter cives juratos esse, & communibus civium privilegiis uti vult Müller. *ad Struv. Exerc.* 17. th. 20. lit. E. *Mev. ad Gus Lubes.* Lib. 1. Tit. 2. n. 31. seqq.

*IV. Juram.
Civium.*

V. Vasalliticum.

V. Est & Vasalliticum juramentum, quod Vasallus Seniori propter feudum praestat, quod eo dimisso non amplius obligat Schweder in *Jure publ. Part. Spec. Sect.* 2. c. 11. §. 7. Omnis vero Vasallus, cuiuscunque sit conditionis ad praestandum vasalliticum obligatus est, & nisi de remissione ejus constet, illud evitare nequit 2. F. 3. in f. Mager de *Advocatia arm.* cap. 9. n. 116. Statim autem, quando a Domino investituram petit, ad illud sese offert, attamen quando Dominus investituram fecit, demum praestat. 2. F. 4. Struv. S. f. F. cap. 8. th. 6. n. 7. etenim obligatio vasalli ex beneficio Domini provenit, quod natura prius esse oportet Ritterschul. in *Partit. Jur. fendl.* cap. 10. qv. 1. Quanquam præposterior in hoc actu, qui pendet ab arbitrio Senioris & Vasalli, illum vitiare non possit, sed salvus manebit,

nebit, etiam si fidelitas ante investituram jurata fuerit Anton. *Dif. feud. 4. lib. 8. lit. A.* vid. Iter. *de feud.* *Imperiis c. 9. §. 41. in fin.* In primis quoad oblationem distinguendum videtur inter feudum novum & feudum antiquum. In novo vasallus ad jurandam fidelitatem se offerre non tenetur, sed expectare potest, donec Dominus ad illam faciendam eam citaverit, nisi forte morosus sit & studio differat fidelitatis præstationem, quo casu, ne commodo feudi excidat, se potest offerre vasallus & urgere ut admittatur ad præstandam fidelitatem Dn. Stryk. *Exam. Jur. feud. cap. 13. qu. 9.* In feudo antiquo autem intra annum & diem à facta mutatione Domini vel vasalli oblatio ad jurandum fieri debet, ne alias vasallus ut ingratus beneficij ejus jacturâ puniatur.

z. F. 24. pr.

V I. Causas publicas concernit etiam Juramentum, quod Consiliarii, Officiales, Academiarum Rectores, Ministri ac famuli Dominis suis præstare solent de officio suo rectè fungendo. Dicitur illud Domesticitatis, familiaritatis vel assecurationis, *Rahts-Ampts- und Dienst-Pflicht.* quod non solum ratione officii publici sed & privati præstat, ne Dominus à servo insidias timere habeat necesse, quia nulla pestis efficacior est ad nocendum, quam familiaris inimicus L. 27. C. *de Donas.* Formula tamen juramenti hoc casu ita concipienda, ne inde superiori præjudicetur. Limn. *de Jure publ. lib. 8. cap. 5. n. 14. seqq.* Mager *de Advoc. armat. cap. 9. n. 158.*

VII. Causas quasi publicas appellamus quæ non in totum sed pro parte publicæ sunt. Ad has referimus causas pupillorum, in quibus Tutores & Curatores jurare tenentur, quod tutelam ex fide sint gesturi, nec concessuri ut pupilli aut bona eorum aliquid detrimenti capiant. *Ordin. Polit. de A. 1577. Tit. 32. §. 3. L. n. 1. §. 6. vers. runo.*

VI. Domesticitatis
vel familiaritatis.

In causis
quasi publi-
cis est I. *Jur.*
ram. Tutor.
& *Curato-*

Et si quidem C. de Curat. furios. Rarius quidem hoc juramentum hodiè præstari solet, & planè in desvetudinem abiisse existimat. Carpz. P. 2, C. 11, D. 6. ne difficultè sit Tutores reperire; non tamen ubique prorsus ab usu recessit, nam Hamburgi aliisque in Civitatibus Imperii adhuc obtinere testis est Dn. Stryk. in not. ad Lauterb. tit. de Jurej. pag. 175. verb. vid Carpz. Unde ubi in viridi observantia est, Tutores adhuc post delatam tutelam ad id sine suspicione sese offerre possunt.

II. Doctorandorum
in Acad.

VIII. His causis quasi publicis accensemus Inaugurationes Doctorum in Academiis, in quibus Personæ eruditio conspicuæ ad gradus honorum evehuntur, quorum supremus est Doctoralis Dignitas. Hac collatâ viri digni pronuntiantur, ut palam doceant & exerceant ea, quæ ad Facultatem suam spectant, omnesque honores, beneficia & commoda obtinent, quæ viris doctis & bene meritis illius Facultatis competere possunt Dn. Becman. *Polit. Paral cap. 10. §. 11.* Celebratur autem Promotionis actus variis solennitatibus, cum Doctorandis liber detur, osculum, biretum, annulus, & vicissim ab illis invitatis Academiæ Proceribus, aliisque Hospitibus munera offeruntur, de quibus omnibus agit Limn. *de Jure publ. Lib. 8. c. 8. n. 88. seqq.* Inter illas solennitates etiam juramentum refertur, quod Statuta Academica præscribunt doctorandis, ut eo se obligent ad observanda ea, quæ ista statuta ab adspirante ad hanc dignitatem in quaunque Facultate fieri cupiunt.

III. Studio-
forum apud
Universi-
tatis Recto-
rem.

IX. Itiusmodi Statuta etiam Studiosos jurare volunt, quando apud Rectorem Academie nomina sua profitentur, & Albo Universitatis inseri volunt, ut ad obedientiam erga Superiores & Statutorum obsequium se obligent. In quibusdam Academiis manus stipulata loco juramenti sufficit, ne inconsulta Juvenum atas in contrarium flectendo facile

facile perjurium contrahat. At ea tamen non in omnibus Studiosis sufficit, nec in omnibus Academiis. Ubi præcisè juramentum requiritur, id legale est Limn. d. l. lib. 8. c. 6. n. 34. sugg. Ut tamen quandoque de præmuñiendo perjurio subjiciatur clausula: contrafacentem à perjurio liberum esse debere, si multam solvendo, aut aliam pœnam sufferendo Rectori satisfactum fuerit. Ita in Statutis Universitatis Viadrinæ de Studiosorum Juramento talis clausula reperitur: *Nolumus autem ei, qui hominum aliquo labitur, perjurii reatum impingi, si juxta Statuta nostra, cuiuslibet excessus justas pœnas dederit. Quod si pœnas sibi irrogatas detrectaverit, perjurii reus permanebit.*

X. In causis privatis extrajudicialibus à lege confirmatoria juramenta præscribuntur. Ex horum numero est Juramentum, quo fœmina à se factam intercessionem confirmat c. 9. X. de Jurejur. Cum enim illa ob SCtum Vellejanum non obligetur ex fidejussionibus u. ff. & C ad SCt. Vellej. creditor fidem nullam dabit, nisi illa contrahendum juramento roboraverit. Ob juratam verò intercessionem fœmina ad istud beneficium non amplius admittitur, quia juramentum vim certiorationis habet, quæ efficit, quod mulier non inconsideratè, sed deliberato animo pro alio fidem deditse intelligatur, quod excludendi illius beneficii sufficiens causa est arg. c. 9. X. de Jurej. Seraphin de Seraphin. de Privil. juram. Privil. 63. Fachin. lib. 2. Controv. cap. 61. Sichard. ad Cod. de SCt. Vellej. n. 17.

XI. An pariter in filiosam mutuum suum confirmare volente juramentum sufficiet? hoc regulariter negandum est, quia SCtum Macedonianum introductum ob publicam utilitatem, ne malis moribus ansa præbeatur, ac Juventutis corruptione disciplina publica turbetur, neve jus parentum lœdatur, atque ita juramentum iniquitatis vin-

*In causis
privatis ex-
trajud. es*
*I. Juram.
Mulierum
ad confirm.
intercess.
suam.*

*II. quandoq.
Jurament.
filiosam. ad
confirm.
mutuum.*

culum evadat. Quinobrem cum istud SCtum non sit in favorem filiorum fam. introductum, nec solum in odium creditorum, sed primario in favorem publicum, & gratiam parentum illi tanquam juri tertii juramento filius fam. renuntiare non poterit. *arg. L. 3. ff. & L. 29. C. de Pacz. de Jena Tr. de SCt. Maced. Secl. 6. aph. 8. Bachov. ad Treutl. V. 1. Disp. 20. th 7. lit. d.* *Quod si tamen non in turpem causam credita esset pecunia, nec creditor dolosè juramentum exegisset, quia ad dictum Juris Canonici omne juramentum obligatorium, quod sine peccato servari potest, putamus etiam filium fam. ut creditorem eo magis securum faciat, se licite ad juramentum offerre, & eo mutuum suum confirmare, ut efficax contra ipsum sit actio.* Non enim omni datione mutui conrumpuntur juvenes, sed si fiat, hoc per accidens contingit, & sufficit filium fam. jurare super re licita, nempe mutuo reddendo B. Brunnem. *ad L. ult. C. ad SCt. Maced. n. 7. Dn. Stryk. in Caus. Contr. Secl. 2. cap. 1. §. 15.*

III. Minores.

XII. Est etiam Juramentum quo se Minores obligant de Contractibus suis non retractandis, quod, si ex certa scientia praestitum fuit, inviolabiliter servandum erit *Avtb. Sacra menta Puberum C. Si advers. vendit.* Notandum vero ante omnia, contractum praecipue ex triplici causa infirmari, 1.) quando est contra bonos mores, 2.) ratione publica utilitatis, de qua intelligenda *L. 5. C. de LL. & 3.) ob intermissionem solennitatem.* Ob hanc ultimam causam contractus invalidus convalidatur juramento minoris. Unde ob defectum Curatoris si contractui juramentum minor adjecerit, ille non nullus erit Brunnem. *ad d. Autb. n. 6. Müller ad Srw. Ex. 8. th. 54. lit. d.* Non tamen minor hoc juramento alia quam minorum beneficia, ut pote restitutionem in integrum amittit. Quæ enim beneficia

ficia majoribus competunt, salva omnia etiam post juramentum minor retinet, hoc enim saltem ex minore facit majorem Sichard ad d. Avth. n. 44. seqq. Franzk. Lib. 2. Resol. 4. n. 14. seqq. Gail. 2. O. 41.

XIII. Transeamus ad Judicialia Juramenta, ex quibus ad declinandum suspectum Judicem primum referimus Juramentum Perhorrescentiae, quo actor coram Judice superiore asseverat, se valde timere, ne non ab inferiore judice æquam & incorruptam impetrat justitiae administracionem vid. Feltmann. *de Juram. Perhorresc.* & Lauterb. *Disf. de Juram. Perhorresc.* Origō hujus debetur Bonifacio VIII. Pontifici in c. *Statutum II. §. 1. de Rescript.* in 6. cuius constitutionem postea approbavit & quodammodo limitavit Concilium Lateranense §. 13. eamque usus & observantia summorum Dicasteriorum recipit, videlicet Judicii Cameralis Rosenthal *de feud.* c. 12. concl. 14. n. 63. Rotæ Romanæ Jacob. Put. lib. 1. Decif. 279. & lib. 3. Dec. 34. Concilii Neapolitani Vincent de Franch. *Decif. 279. n. 6. ibid addit* & aliorum. Est autem illud ad declinandum suspectum judicem remedium tantum in gratiam actoris proditum, non in gratiam rei, quia hic conventus coram suspecto Judice exceptionem suspecti habet, ille vero qui sequi tenetur forum rei, ad hoc declinandum ut suspectum, non aliud habet remedium quam hoc juramentum Perhorrescentiae Mev. P. 6. Dec. 71.

XIV. Ut partes litigantes bona fide & sincerè versentur in lite, Juramentum caluminiae introductum est L. 2. C. *de Jurejur. prop. calumn.* Generale præstatur ab utroq; litigantium auctore & reo super tota causa fideliter professa, ad quod sese uterque in principio litis offerre potest Beust *de Jurej.* ad L. 3. n. 7. Et rectius hoc sit, quam communiter in judiciis observatur, ubi ab eo qui defert alteri

*Vel Judi-
ciale & ejf
I. Juram.
Perhorre-
scientie.*

*II. Juram.
Calumnia
generale.*

alteri hoc juramentum, exigitur juramentum malitiæ, quod non malitiosè generale juram. calumniæ velit præstari. Nam cum hoc ex necessitate juris præstandum sit, non potest videri cum altero calumniosè agere, qui id ab eo exigit. Longè melius ergo est, ut si unus præstat juramentum calumniæ idem & alter juret, quia longè plura capita continent, quam simplex juramentum malitiæ Dn. Stryk. *Introd.* ad *Prax.* cap. 12. §. 6.

X V. In Saxonia generale Juramentum calumniæ abrogatum est, & usu servatur juramentum malitiæ, quia metu generalis juramenti multi deterrentur ab agendo, & quia sufficere potest speciale juram. malitiæ, ubi calumniæ suspicio apparet Carpz. in *Proc. Tit.* 12. art. 1. n. 7. & P. i. C. 12. D. 27. vid. Brunnem. in *Proc. Civ.* cap. 15. n. 6. Cum vero hoc demum præstatitur, ubi in aliquo actu speciatim malitia apparet, causus vix erit, quod quis fese ad illud offerat, cum nemo futurus præsumatur, qui dicat se malitiosè agere, nemoque allegabit suam turpitudinem, sed ea magis detegetur ab altero. Inde in Saxonia non aliter juramentum malitiæ præstari necesse est, quam si ab adversa parte petatur Lange *Isagoge ad Proc. Civ.* & *Saxon.* cap. 44. n. 6. Quando tamen accideret, quod alter alterum malitiæ in judicio argueret, occasio hic esse posset offerendi se ad juramentum malitiæ, ut occurrat huic suspicioni & eam mediante illo amoveat.

X VI. Quando per litis contestationem jacta sunt Processus fundamenta, proximum est, ut ad probationem procedatur; quæ in multis judiciis fit per Positiones ab actore formatas, quibus factum in libello propositum includit, & Judici repræsentat. Hæ à judice transmittuntur reo cum præfixo termino, ut in illo se sisstat & ad illas defensionalibus positionibus respondeat Brunnem *Proc. Civ.* cap. 17. Lauterb.

*III. Juram.
malitia*

*IV. Juram.
dandorum
& respon-
dendorum.*

Lauterb. *Coll. Theor. Pract. tit. de Interrog in jure fac. §. 5.*
seqq. Illas Ponens ad confirmationem carundem se offert
 mediante juramento dandorum , & Reus responsum ad
 illas se quoque offert ad juramentum respondendorum ,
 quo ille positiones à se factas de facto proprio veras , de
 facto vero alieno putative tales esse statuit ; hic ad singu-
 las positiones secundum veritatem vel opinionem se respon-
 sum jurat . Ziegl. *ad Lancellot. tit. 14. §. 2. verb. ad facili-
 rem.* Utrumque hoc juramentum ratione facti alieni cre-
 dulitatis est , & propterea uterque eo facilius ad id admit-
 titur . Ratione tamen facti proprii juramentum veritatis
 est , inde cavendum , ne contra veritatem jurans perjurii
 reus fiat Dn. Stryk. *d. l. cap. 17. §. 2.* & in *Iusu Mod. ff. tit.*
de Interrog. in Jure fac. §. 57. seq.

XVII. Si Testibus probandum , prius illi juramentum
 Testium præstare tenentur , quia nulli Testi , sive Laicus
 sive Clericus , sive vilis sive in dignitate constitutus sit , cre-
 ditur , antequam fidem de veritate dicenda juramento fe-
 cerit e. *Fraternitatis 17. X. de Testib. L. o. C. de Testib.* Ros-
 bach. *Proc. Civ. Tit. 57.* Partium quidem consensu remitti
 potest , quia non est de substantia , sed saltē ordine judi-
 cii , & non tam publicam , quam privatę partis utilitatem
 concernit Mynsing. *3. O. 8. & 4. O. 73.* Martini *Comment. Fo-
 rense Tit. 20. §. 3. n. 108. seq.* attamen si remissum non fuerit ,
 præstandum erit , & si testis advertit , adversarium eum
 sine illo non esse admissurum , ad id se offerre poterit .

XVIII. Ad æstimandam rem , quam adversarius per
 dolum vel contumaciam non restituit , proditum est jura-
 mentum in item , quo res restituenda ab actore æstimatur . *tt. ff. de in lit. jurand.* Hoc ultrò præstari non posse
 evincunt ex *L. 4. §. 1. ff. d. 1.* sed solum judicem deferre te-
 ner , quia solum ejus est despicere , an & quatenus hoc jus-

D jurandum

V. Juram.
 Testium.

VI. Juram.
 in item.

jurandum deferendum, & quia alias actor in propria causa pars & judex esset. Beust *de Jurej Rabr.* n. 134. Tabor. Vol. 1. *Tract. de in lit. jur.* §. 14. 23. & 50. Seraph. de Seraphin. *Privil. juram.* 31. n. 88 *ibique Benekendorff.* n. 44 seqq. Setter *de juram.* Lib. 5. cap. 3. Verum quoniam hoc juramentum legale est, placet nobis contrarium. Tametsi quidem judex despicere debeat, an illud deferendum sit, attamen cum deferre teneatur, si aliter actori satisfieri non posse, nec hoc casu actorem ad probandum interesse adstringere valeat, vt ipsi dissentientes fatentur, non præjudicabit sibi actor, si petat à judice, quod jam tum ipsi faciendum in cumbebat, vel si se ad tale quid offerat, quod jura facere cupiunt Dn. Stryk. *in usu mod. ff. tit. de in lit. jur.* §. 2. vid. *sap. cap. 1. §. 21.*

VII. Zeno-
nianum.

XIX. Est etiam Zenonianum juramentum, quo res aestimatur, quod à Zenone Imperatore nomen accepit, cuius virtute ille, qui vim passus est in ædibus, & hac occasione varias res amisit, sed nescit, que & quales sibi sint ablatæ, æstimare potest damnum sibi illatum, prævia tamen taxatione judicis, ne in immensum juretur L. *Si quando o. C. Unde vi quæ canonizata à Gregorio IX. in cap. ult.*

VIII. Tur-
Minoratio-
nis.

X. de his que vi mesusve causa fiunt. Huic in Saxonia opponitur juramentum Minorationis seu Minutionis der Min- derungs. Et d/ quo planè inverso modo proceditur, nam ibi, si quis damnum ab altero passus est, hoc sine juramento æstimare poterit, sed reus cui nimia illa æstimatio videtur, & eam dare nolit, istam juramento hoc diminuere potest, ita ut ultra hanc summam diminutam condemnari non posse Struv. S. F. C. Ex. 17. th. 70. *ibique Müller. lit. & Carpz. P. 1. C. 23. D. 17. seqq.*

IX. Supple-
toriorum &
Purgator.

XX. Si causa sit adeò dubia, ut judex nesciat cujus partis sit justa, & plenæ probationes deficiant, ut tamen controversia

troversia decidatur, ad Iuramentum Necessarium recurrunt, quod duplex est Suppletorium & Purgatorium. Illud præstatur ab eo qui semiplenè probavit v. gr. per unum testem omni exceptione majorem, ut eo præstito plena fiat probatio & causa dubia decidatur *L. 3. C. de R. C. L. 31. ff. de Jurejur.* Hoc præstat contra quem præsumtiones semiplenâ probatione leviores militant, ut illas elidat, & causa dubia decidatur. Utrumque legale juramentum est, & pars litigans sese ultro ad illud offerre potest *Setfer de Juram. L. 4. c. 11. n. 12. inf.* Cacciolup. *ad L. 31. ff. de Jurej. n. 241.* Salicet. *ad L. 3. C. cod.* Martini *Comment. forens. Tit. 30. §. 1. n. 74. seqq.*

XXI. Huc pertinet etiam Juramentum Diffessionis, quod usum habet circa instrumenta literaria, quæ in judicio contra aliquem producuntur, ubi productus eadem vel recognoscere vel mediante hoc juramento negare teneatur. De eo non solum Jus commune Civile disponit *L. 11. C. Qui pot. in pign. L. 13. & 14. C. de Probat. & Canonicum c. 2. X. de fide instrum.* sed & Jus Imperii Romano Germanici per *Rec. Imp. de Ao. 1654. §. 35. 39. & 45.* & diversorum locorum Statuta vid. Gerbet. *de Cautele jurament. in Judic. observ. Sect. 3. cap. 3. Posit. 5. n. 14.* Negatur autem hoc juramento tam instrumenti forma externa, quæ in scriptura, subscriptione ac sigillo consistit, quam interna, quæ contenta instrumenti producti concernit.

XXII. Finita per sententiam lite non semper acquisit vietus in illa, sed sese gravatum sentiens appellat ad Superiorem, ut per seum ab inferiore Judice gravamen corrigat & emendet. Hic ne frivole videatur appellare, ex quorundam locorum statutis Juramentum appellationis præstat, quod causæ suæ bonitate confisus appellat *R. 3. de Ao. 1654. §. 127.* Non verò saltem Principalis hoc Jura-

X. Juram.
Diffessionis

XI Appella-
tionis.

mentum præstat, sed & ejus Advocatus, & ille quidem sub præjudicio cause & pœnæ desertionis, hic sub mulcta Marcæ auri Lauterb. *Coll. Theor. Pr. tit. de Juram. §. 41.*

XII. *Expen-
sarum.*

XIII. *Sunt
legalia ju-
ram. Veri-
tatis Credu-
litatis & I-
gnorantia.*

XXIII. Cum autem victus victori ad expensas temerariæ litis condemnetur §. 1. *J. de Pæn. tem. litig. L. 70. ff. de Judic.* viator etiam mediante juramento illas astimare potest. *ordin. Cam. P. 1. tit. 66. seqq.* Sæpè tamen hoc juramentum non admittitur, & Judex ipse moderatur expensas, ad quas victum condemnat Struv. *in Jurisprud. Rom. Germ. lib. 4. Tit. 12. §. 3.*

XXIV. Colophonis loco notamus Juramenta tam veritatis, quibus quis enuntiata sua vera esse afferit, quam credulitatis, quæ super credulitate afferenda vel confirmanda præstantur, à Lege vel Statuto approbata Legalia esse Lauterb. *de Juram. Credulit. Part. Post. th. 3. n. 5.* Ejusdem qualitatis etiam est Juramentum Ignorantiae illi veritatis oppositum, quo juratur de eo, quod ex nullis causis nec ex sensu aliquo scimus, sed cuius veritatem aut falsitatem prorsus nescimus & ignoramus, adèò ut ne quidem levissimam opinionem, credulitatem vel fidem aliquam habeamus. *Carpz. P. 2. C. 22. D. 6. & 7.* *Mascard. de Prob. Vol. 2. Concl. 881.*

CAPUT III.

De Personis quæ ad jurandum se offerre possunt.

I.

*Regular.
qui jurare
potest etiam
ad jurandū
se offerre
valet.*

Has primum generali regula completemur: *Quod, quæ alias jurare possunt, etiam se ad jurandum offerre valeant.* Ut itaque homo proprium subiectum juramenti est, & qui-dem omnis qui sufficienti intellectu præditus, cuiuscunq[ue] sit sexus, nisi specialiter prohibeatur *L. Qui jurasse 26 pr. ff. de Jurejur.* Franzk. 2. *Resol. 1. n. 1.* ita etiam omnem hominem

minem ad jurandum sese offerre posse statuimus. Nec non Christiano homini hic actus oblationis convenit, si super re honesta ac cum religione & reverentia ad juramentum accedat, quia ipse actus religiosus est, & à viris sanctis quoq; usurpatus *Genes. XXIV. 1. Deuteron VI. 13. & X. 20. 1. Sam. XXIV. 22. Esaia LXV. 16. 2. Cor. I. 23. ad Hebr. VI. 16.* Quod vero exemplum aut preceptum jurisjurandi ad obtinendam rem pecuniariam à Sanctis hominibus praestiti aut permissi haut exstare Huberus in *Praelect. ad ff. tit. de Jurej. §. 1.* existimet, & Isocrates in *Orat. ad Demonicum pag. 13.* his verbis tale improbet: *Jusjurandum si postulabitur, duabus de causis dabitis, vel ut temetipsum turpi criminis liberes, vel ut amicos ē periculo eripias. Pecunia vero causa per nullum Deum jurabis, etiamē liquido id facere possis, ne altis perjurus, alius avarus videaris hoc suo loco relinquimus;* quibus sufficit rationi & Legibus juramentum tale haut contrarium esse vid. Tesmār. ad *Grot. Lib. 2. cap. 13. §. 21. lit. d.*

II. Ante omnia requiritur, ut cum attentione & delibерato animo in causa gravi & alias non probabili, quis sese offerat. Pessimi enim animi indicium prodit, qui ad jurandum festinat, & sine urgente necessitate in quacunq; levissima causa ad id promptus inclinat, qui non sine ratione de mendacio, falsitate ac perjurio suspectus existit, dignus ut facta sua oblatione repellatur *c. 5. C. 22. qv. 5. L. 2. C. de Indic. viduit. Menoch. de A. f. Q. L. 2. Cent. 2. cas. 192.* Proindē reus non audiendum, qui, cum actor probare paratus, vult juramento suo admitti, quia absurdum à conscientia accipere decisionem causae, ubi veritas constat aliunde, ita enim fenestra aperitur licentiæ pejerandi Mev. ad *Jus Lubec. P. 5. tit. 8. art. 1. n. 7. & 8.* Ex quo omnino ad officium Superioris pertinet, coram quo juramentum praestari debet, despicere an talis sit persona, quæ ad illud

*Facilis ad
jurandum
si se offerat
non admit-
zendum.*

D 3

fele

sese offert, de qua temeritas & perjurium facile timendum
Setser de juram. Lib. 4. c. 3. n. 11. & Lib. 3. c. 3. n. 83. Carpz.
in Proc. tit. 11. art. 2. n. 68. seqq.

*Offerens
debet intel-
lectu gau-
dere.*

*Non potest
se offerre
furiosus.*

*An prodi-
gus?*

Animpubes

Au minor?

III Porrò ut in paciscente ita in offerente intellec-
tus requiritur, qui, in quibus exultat facit, ut inhabiles
sint ad jurandum Non ergò offerre se potest furiosus
aut demens, seu mente captus, qui furioso in omnibus
præter gestus externos similis est L. 40. ff. de Curat. furios.
Setser. lib. 1. c. 4. Ante furorem autem oblatum & præstitum
juramentum validum est, quia furor superveniens hoc ut
alias obligationes infirmare non potest §. 1. in f. ff. Quib.
mod. non est permis. fac. testam. Præstitum quoque tempore
dilucidi intervalli obtinet, quando evidenter appetet, fu-
rorem remississe & mentis sanitatem rediisse L. 14. ff. de Offic.
Presid. L. 9. C. de Curat. furios. L. 18. §. 1. C. de A. P. Nec
offerre se potest prodigus, cuius bonis interdictum, qui li-
cet sanam mentem habeat, sanitatis tamen usum mōrum
depravatio corrupit, ut intellectu & voluntate quoad bona
videatur carere L. 40. ff. de R. f. L. 12. ff. de Tut. & curat.
dat. & una cum furioso errare L. 20. ff. de Aqua & aqua
pluv. arcend. in quo ne quidem juramentum consensu defec-
tum supplere potest L. 14. §. 3. C. de non num. pec. Neq;
impuberis irtpote infantes & infantiae proximi offerre se
possunt, qui etiam comite judicii destituuntur, quod ma-
xime ad juramenti validitatem requiritur c. 26. X. de Jure-
jur. Hilliger ad Donell. Lib. 21. c. 13. lit. d. Pubertati autem
proximi, quia dolii capaces & apti ad perjurium c. 1. X. de
delict. Pueror. se offerentes pro ratione circumstantiarum
admittendi erunt L. 26. pr. ff. de Jurej. Sichard. ad Avth.
Sacramenta Puberum n. 26. Hartm. Pistor. Lib. 4. qu. 6. n. 8.

IV. Quia in minoribus maturior reperitur actas, quā
quæ agunt & agendorum causas intelligent L. 4. pr. in f.
ff. de

ff. de in lit. jur. hinc sine dubio illi ad jurandum sese offerre possunt *L. 1 & Avth. Sacra mentia Puber. C. Si adversi vendit.* adeo ut valeat juramentum licet curatoris consensus non intervenerit, aut generaliter & sine mentione minorenitatis juretur. Modo juraturus in causa non erret, aut dolo adversarii circumductus ad juramentum sese offerat Seraph. de Seraphin. *Privil. juram. 83. ibid. Benekendorf. n. 4. seqq.* Trentacinqv. *Lib. 2. Pract. resol. 1. tit. de minor. n. 17.* Faber *Rational ad d. L. 4. lit. f.*

V. Intellectui & judicio obstant perturbationes animi. Inde an iratus validè posse jurare dilqviritur? si iracundiae calor tam vehemens & tam magnus sit, ut rationis judicium quasi abjiciat & scientiam excludat, nullum erit juramentum, quia tanta ira ut furoris species aestimatur Farinac. *Prax. Crim. qv. 91. n. 21. & 41.* & ita dici potest:

*An iratus
distingv.*

Jurata lingua est mente juravi nihil,

Quæ jurat mens est, nihil juravimus illa.

Si autem quis levi ira accensus, sine matura & prudenti deliberatione sciens & volens juret, quanquam peccet quod plenam & perfectam deliberationem non adhibeat, attamen quia jurantis animus adest, juramentum ejus, si de re legitima præstitum, omnino validum erit Gutierrez. *lib. 2. qv. 41. Canon. 22. n. 17.* Farinac. *d. qv. 91. n. 41.* Nec contrarium evincit *L. 2. C. ad L. Jul. Majest.* quia ibi saltem Imp. Alexander rescribit, quod in crimen læsa Majestatis non incidat, qui inconsultè juravit, se servo semper iratum mansuum, & tamen in ira non perseverat; non ibi juramentum ex fervore iracundiae præstitum nullum vel irritum dicitur. Neque contrarium probat *c. Sicut ex literis 13. X. de Jurejur.* ubi juramentum ex calore iracundiae præstitum quidem rejicitur, non tamen propterea, quod ex ira sed quod super re illicita præstitum Lauterb. *Vol. 3. Diss. Tubing. Diss. de Ira ejusq. in jure effectibus ib. 20.*

VI. Est

An vehe-
menter a-
mans.

VI. Est quoque amor immoderatus species quædam in-temperati affectus, inde non potest non dubitari, an amo-ris æstro percitus posit, ut fidem faciat puellæ de futuro matrimonio, se ad juramentum offerre, & si postea poenitere velit, an sine nota perjurii à promissa fide possit recedere? Etsi vero fatendum, talem amorem oculos amanti perstringere, ut, quid deceat vel non, haut satis rectè perficiat, tamen quia non omnem mentis intellectum adimit, nec consensum excludit, in hoc casu præstitum puellæ juramen-tum validum erit. Mēdo tamen non alia causa juratam promisionem invalidet, utpote consensus parentum, quem improvidus adolescens non adhibuit, nam ita ne quidem juramento ad servandam fidem obligatus erit, quia hoc non potest mutare naturam negotii cui accedit, sed faltem eam sequitur. Setser de *Juram.* L. 1. c. 8. Gerbet de *Cantel.* Ju-ram. P. 2. Secl. 2. cap. 3. n. 42. seqq.

An summe
ebrius.

VII. Ab eo verò, qui magna ebrietate sepultus, fa-ctam oblationem ad jurandum non valere, facilè conce-dimus, puer enim talis similis est, & furioso æqualis, qui intellectu & judicio destitutus c. 3. & 5. Disf. 35. c. 14. X. de *vita & honest. clericor.* Setser. c. 6. Unde sicut ab ebrio alia inita conventio non subsilit, ita nec juramentum c. 7. 8. & 9. C. 15. qv. 1. Sanè si in ebrietate se ad jurandum offerret, & cessante crapula propositum ratihaberet, su-perque eo, quod in ebrietate promisit, juraret, exindè omniō obligatus erit. Farinac *Pr. Crim.* qv. 93. n. 22.

Civitas &
Collegia se
offerre pos-
sunt.

VIII. Non solum personæ singulæ, sed & Collegia & Civitates, quæ sunt corpus aliquod permisso Superioris ad communem utilitatem unitum offerre se possunt ad juran-dum. Sicut enim cum Civitate lites tractari & negotia ci-vilia celebrari possunt L. 1. §. 1. & 6. ff. *Quod cuiusq. Univ-*
nom. L. 9. §. 1. ff. Quod met. caus. ita etiam ab eâ juramenta accipi

accipi. Ne verò omnis populus juret, qvod quoque non expedit, quia non omnibus semper est debita scientia rei super qua jurandum, sufficit si se Seniores offerant, nomine totius Senatus, Collegii vel Universitatis, aut etiam juniorum, qui optimam facti notitiam habent. Carpz. *in Proc. Tit. 12. art. 1. n. 35. & P. 1. C. 13. D. 1. & 2.* Pro Senioribus quidem militat præsumtio, quod regulariter exactius res & negotia civitatis sciant, quam juniorum, at hæc præsumtio probationem in contrarium admittit. Juniorum ergo, si constet, quod rem, de qua agitur, optimè cognitam habeant, ad juramentum nomine Universitatis præstandum admittendi erunt. Carpz. *d. def. 2.*

IX. Omnes tamen, qui ad jurandum se offerunt, in propria persona juramentum præstare debent, quia hoc actus personalissimus est, & magis solliciti sunt de salute animæ qui in propria persona jurant, quam qui per alios. Oldenkop. *Dissert. de Juram. in alterius anim. n. 16. seqq.* Et hæc sententia in Saxonia certi & indubitate juris est, adeo ut nec per Procuratorem speciale mandatum habentem juram. præstari possit. Land-R. L 1. art. 46. vers. wo es aber Martini *Comment. forens. Tit. 18. §. 10. n. 1. seqq.* juramento falso fidelitatis & homagii excepto Berlich. P. 1. *Concl. 34. n. 26.* Verum jus Canonicum aliud disposuit, & admittit præstationem juramenti per procuratorem speciale mandatum habentem, & in animam principalis jurantem c. fin. *de Juram. in 6. c. f. de Juram. calum. in 6.* quia, quamvis juramentum sit actus personalissimus, tamen etiam ipse Principalis hoc casu, dum mandat, jurare intelligitur, & hoc suum juramentum per ministerium sui Procuratoris æquè explicat, ac alium actum per nuntium aut per epistolam expedit Lynk. *ad X. tit. de Jur. §. 2. in f. Schilter Prax. Jur. Rom. Exerc. ad ff. tit. 23. §. 34. seqq.* Fluxit

E

An Procu-
rator in
rem alie-
nam?

hic Jus in mores hodiernos, & jam Praxis recepta, posse per Procuratorem speciale mandatum habentem præstari juramentum tam in judicio, quam extra judicium Gail. 1. O. 83. Setser lib. 1. cap. 14. Sande *decisi* Friesc. lib. 1. tit. 9. def. 1. Mev. P. 4. Dec. 67. n. 10. & P. 7. Dec. 382. seq. Idecirco concludendum, etiam iuxta hanc Praxin Procuratorem pro Principali ad juram. se offerre posse Gerbet d. Tr. P. 2. Sect. 1. c. 2. n. 134.

*An heres
super facto
defuncti.*

X. Nonnunquam etiam admittuntur personæ juraturæ in causa aliorum, attamen in animam suam. Ita admittitur heres iurare paratus super facto defuncti Mynsing. Cent. 3. O. 56. Verum hoc juramentum saltem credulitatis est, quod scil. credit defunctum nihil debere. De veritate enim jurare non cogitur, ne conscientia ejus gravetur veritate rei, quæ se aliter potest habere, & quam hoc casu probabiliter ignorare præsumitur. L. 11. S. 2. ff. de Act. rer. amot. L. fin. ff. pro suo L. 42. ff. de R. J. L. 21. C. de jure, hinc ipsi parcitur, ne sub alieni compendii emolumento anceps subeat perjurium L. 4. pr. ff. de in lit. jur. Jurare tamen tenetur heres de credulitate propria, non defuncti, & juramentum ejus refertur ad ipsius scientiam & opinionem de re, quam notitiam super facto defuncti tanquam tertii fibi comparaverit. Carpz. P. 1. C. 12. D. 40. seqq. Martini d. T. 18. §. 1. n. 57. seqq. Cæterum cum hæc quæstio circa juramentum credulitatis ab herede præstandum variis limitationibus & ampliationibus implicata sit, ad pleniorum eius intellectum consuli poterit Lau- terb. Vol. 4. Disp. Tübing de Jur. Credul. Part. Post. ib. 10. seqq.

XI. Ita etiam Tutores & curatores pro pupillis & adolescentibus ad juramentum Legale sese recte offerunt v. gr. pillo & mi- ad juram. calumnæ L. 2. S. 2. & Auth. Principalis S. ult. C. more Tutor de jaram. propt. cal. ibid. Brunnem. Purgatorium Mev. ad & Curator. J. L.

J. L. l. 1. t. 7. art. 1. in addit. Brunn. ad L. 4. ff. de in lit. jur. n. 3. &c. Ad juramentum in item se quoque offerre possunt, si tantam affectionem pupillo vel adolescenti exhibere velint, quo judicio, quod cum illis acceptum est, finis adhiberi possit L. Videamus 4. pr. ff. de in lit. jur. Mev. P. 4. Dec. 121, n. 5. Faber. Rational. ad d. L. 4. lit. d.

XII. Postremo videamus, an is, qui se obtulit à præstatione juramenti recedere, & intentionem suam idoneis probationibus obfirmare posset, ob er können sein Gewiss
sein mit Beweß vertreten. Ratio dubitandi est, quod ex oblato ad jurandum sit alteri jus quæstum. Verum ea non obstante verior est affirmativa sententia, quia juramentum non nisi subsidiaria probatio est. Ubi ergo suppetit ordinarium remedium non recurrendum erit ad extraordinarium L. 11. C. de R. C. L. 30. pr. ff. de Jurejur. Sanè si post præstitum juramentum & sententiam latam contraria admittuntur probationes, quibus retractatur illud L. Admonendi 31. ff. de Jurej. cur non illud evitari posset ob novas probationes ante juramentum præstitum repertas, quia sic evitantur juramenta frustranea Zoel. ad ff. tit. de jurej. n. 41. Struv. Ex. 17. th. 33. Carpz. P. 1. C. 14. Def. 20. Mev. ad Jus Lubec. Lib. 3. tit. 9. art. 3. n. 30.

Offrens
conscienti-
am suam
probationi-
bus exone.
rare potest.

CAPUT IV.

De Forma & Objecto oblati Juramenti.

Omne juramentum duplice forma constat, alia substantiæ & intrinseca, alia extrinseca & accidentalis. Illa consistit in invocatione Nominis Divini, quæ in ordine ad DEum fieri potest verbis quibuscumque, etiam sola mente quia cum DEO res agitur, qui mentem intuetur, nec ullum conceptum verborum desiderat c. 11. Dis. 32. de Sera- phia. Privil. Juram. 22. n. 116. seqq. Franzk Lib. 2. resol.

Forma Ju-
ram. est vel
intrinseca,
vel extrin-
seca.

E 2

i. n.

z. n. 39. Mev. P. 1. Dec. 146. Inde ordine autem ad homines verba concepta adhibenda, quorum communis formula: *Ita me DEUS adjuvet, quibus usus Tribunalium addit Et Sacro-sanctum ejus Evangelium conf. Disp. nostra de dubiis Jurament. Formulis.* Hæc vero versatur circa varios ritus & ceremonias, quæ pro moribus Regionum & Gentium variae semper extiterunt, de quibus vid. Faber *ad Cod. lib. 4. tit. 1. def. 34.* Lynk *ad X. tit. de Jurej. §. 10.* Balduin. *de Casib. Cons. lib. 2. c. 9. cas. 6.* Illa substantialis nunquam abesse potest à juramento, absque hac vero vallet illud, quia istiusmodi solennitates saltem faciunt ad informandos simpliciores, ut efficaciam juramenti eo melius sibi imprimant, & à committendo perjurio eo magis abhorreant, quod tamen etiam sine illis fieri potest. Franzk. *ad ff. tit. de Jurej. n. 17. seqq.* Quidam utile sit adhibere quædam solennia maxime propter ignaros & duros homines qui ad jurandum accedunt Brunnem. *ad L. 12. C. de R. C. n. 47.*

Forma pro negot. qualitate concipienda, & ea precise observanda

II. Verum cum cause super quibus jurandum variae & multiplices sint, ratio dicat, ut pro indeole earum etiam formetur & concipiatur formula juramenti, & tunc præcisè ad illam jurandum erit. In juramento voluntario & judiciali adeo quis ad propositam formulam adstrictus est, ut planè aliis verbis uti non possit, sed si verba forte quædam omisit vel addidit, nullus erit effectus, sed denuo jurari debet *L. 3. §. ult. ff. de Jurejur.* quia juramenta ab adversario delata speciem quandam Transactionis continent. Transactione vero non fit, nisi ex mutuo partium consensu, cui nihil addi vel detrahi potest. Faber *Rational. ad d. L. 3. §. ult.* Brunnem: *Proc. Civ. c. 23. n. 11.* Quod si partes forte super forma convenire nequeunt, ipse judex eam prescribere debet *L. 34. §. 5. ff. d. 1.* Thabor. *Decis. 83. n. 12.* Carpz. *P. 1. C. 15. D. 9.* Gerbet. *de Cautele juram. P. 2. Sect. 1. cap. 2. n. 150.*

III. Sed

III. Sed ita jus est circa formulam quâ præstatur ipsum juramentum. Aliâ necesse est fiat formula oblatio ad jurandum, quæ præcedit juramentum, & prœindè ab illa differt, de qua hic præprimis agendum. Cum vero de hac oblationis formula nihil in Jure communi reperiatur, & forte paucissimorum Tribunalium Statuta verbis in eam conceptis agant, erit in cuiusvis offerentis arbitrio, quâ velit formula animum suum ad jurandum paratum significare. In Saxonia, quando per judicem delatum est juramentum, observatur certa formula, juxta quam, qui jurare jussus se offerre debet juramento, quam videre licet ap. Langium, *I sag. ad Proces. c. 45. n. 22. seq. conf. supr. c. 1. §. 17.*

IV. Alioquin ex qualitate cuiusvis negotii formanda erit oblatio, quod cum variet, etiam variabit formula. Putamus tamen in negotiis quæ non aliter quam juramenti obsignari possunt, non necessarium esse, ut semper præmittantur verba oblatione indicantia, sed hanc eo ipso fieri, dum ad jurandum quis se accingit. Verbis enim an aliis conjecturis mens nostra exprimatur, perinde valet Grot. de J. B. & P. L. 2. c. 16. §. 4. & 5. Qvod si verò actus aliter quam per juramentum possit declarari, & tamen quis velit jurare, verbis oblatio significari poterit qualibuscumque quis velit, si modo referant, velle quem jurare. Itaque in oblatione ad suppletorium juramentum hæc verba adhibuisse satis erit: **Zu Bestärkung meiner gethanen semiplenæ probation erbitte ich mich den Erfüllungs-**
Eyd zu leihen; Vel si non satis probavi, peto mihi deferri juramentum in supplementum probationis. Beust. de Jurej.
Rubric. n. 98. Ad juramentum Purgatorium hæc sufficiet formula: **Dauint die wider mich streitende presumtiones elidiret / und meine Unschuld möge erwiesen werden/ so offerire ich mich den Reintungs- Eyd zu schweren.** Ad

*A juram.
differt ob-
lationis
formula.*

*Species
quedam
formular.
ablationis
odjurandū.*

juramentum calumniae. Damit nicht minder meine Ge-
gen-Part als auch der Herr Richter selbst erkennen
möge / dass ich nicht anders glaube/als eine gute Sache
zu haben / und dass ich zeit währenden Processe son-
der Argelist und Betrug verfahren wolle/ so erbiete
mich solches durch einen Eyd zu bekräftigen. Possunt
etiam formalia ita concipi: *Weil* in denen Rechten es
als ein geziemendes Mittel geordnet/ seine Meinung
mit einem Eyd zu behaupten / als wil Kläger solches
zu Beförderung seiner Sache ergriffen haben/ und er-
bittet sich demnach solchen ihm zugelassenen Eyd mit
gebührender Solennität abzulegen. Nihil etiam refert,
si oblatio fiat verbis: Ich bin bereit zu schwören. Quan-
quam consultius videtur non aded popularibus verbis pro-
filere ad jurandum, quia leviter se offerens de levi animo
suspectus fieri potest. supra cap. 3. §. 2.

*Quo tem-
pore & loco
fieri debeat
oblatio.*

V. In scriptis an viva voce fiat oblatio , si modo fiat
opportuno tempore & loco nihil refert. Non enim prius
offerendum est juramentum , quam opus est jurari. Unde
homagium , vasalliticum aut aliud causam publicam concer-
nens , offerendum erit , quando tempus & occasio postu-
lat. In judicialibus quoque re postulante fieri potest obla-
tio tam ante quam post L. C. Et ad juramentum neces-
sarium aliquis se offerre potest tam ante sententiam , quam
in ipsa sententia , licet fiat quod pars adversa ab illa senten-
tia appellat , ne , si moriatur jurare paratus , facultates pro-
bationis successorri praecidantur L. 12. C. de R. C. ibique Si-
chard. ubi n. 2. refert casum. Offerendum etiam est op-
portuno loco , ut in Cancellaria Principis aut Curia , quia
hęc sunt Auditoria , in quibus solennitas juramenti peragitur ,
& in quibus saltem deciditur an oblationi subscribendum
d. L. 12. §. 4. Umm ad Proc. diff. 14. n. 39. & 37. Schilter.

Exerg.

Exerc. ad ff. 23. §. 30. Gerbet de *Caut. juram.* P. 2. Sect. 1.
cap. 2. n. 112. seqq. Habent quidem egregiae personæ, ut
pote Illustres, Doctores, Senes, matronæ honestæ &c.
hoc privilegium, quod domi possint jurare L. *Ad personas*
egregias 15. ff. *de jurej.* ibique Beust. Sichard. *ad d.* L. 12. §.
in omnibus n. 2. oblatio tamen, ut fiat in publico Auditorio
Superioris autoritas postulare videtur.

VI. Debet autem ille, qui vult jurare, sese offerre
super re honesta nec bonis moribus contraria c. 28. *de R.*
f. in 6. c. 18. C. 22. qv. 4. Ceterum in omnibus causis
civilibus dubiis & modicis valet oblatio L. 3. C. *de R.* C.
sed non in magnis & arduis, ex quibus magnum commo-
dum speratur, propter perjurii suspicionem, nisi offerens
plus quam semiplenè probaverit Gail. 1. O. 103. n. 11. Brun-
nen. *Proc. Civ.* cap. 23. n. 28. In criminalibus ad jura-
mentum calumniæ accusator se offerre potest, ut ejus ca-
lumniosa accusatio excludatur L. 2. pr. C. *de jur. prope. cal.*
Berlich. P. 1. *Concl.* 31. n. 27. ad alia autem juramenta hoc
fieri nequit, ne minus sufficienti probatione reus condem-
netur contra L. *fin.* C. *de Prob.* aut pejerando supplicium
evitet. Nisi causa criminalis sit, qua ultra poenam pecu-
niariam non proceditur, vel indicia non adfint ad tortu-
ram sufficientia, sed tantum talia, quæ juramento purga-
torio elidi possunt. Berlich. P. 1. *Concl.* 54. Carpz. P. 1.
C. 22. Def. 1 Faber. *ad Cod. l. 14. tit. 1. def. 43.* Martini *Comm.*
forensi. Tit. 30. rubr. n. 28. seqq. Simon van Löwen in
Censura Forensi P. 2. L. 2. cap. 7. §. 23.

VII. Causis Criminalibus comparant matrimoniales,
& quoque in his juramentum non admittunt, sed luce
meridianâ clariores probationes requirunt, ne alias sit in
potestate jurantis matrimonium legitimè contractum dis-
solvere c. 34. X. *de jurejur.* vel contra libertatem reum co-
gere

In causis ci-
vilibus &
criminalib.
an valeat o-
blatio ad
jurandum.

An in ma-
trimoniali-
bus?

40 CAP. IV. DE FORMA ET OBJECTO OBLATI JURAMENTI

gere ad matrimonium Gail. 2. O. 94. Beust. de Jurej. ad L. Admonendi 31. n. 269. Verum consideratis circumstan-
tiis & personarum qualitatibus, si pro juraturo militat opi-
nio probitatis, & ambiat personam suæ conditioni æqua-
lem vel planè non absimilem & matrimonium possit se-
miplenè probari, nihil vetat, quo minus sese offerre pos-
sit ad juramentum suppletorium Gail. d. l. n. 12. Setser
de juram. Lib. 4. c. 14. n. 12. inf. Hinc etiam stuprata,
quæ semiplenè promissionem matrimonii probavit, ad sup-
pletorium juramentum admittenda erit, si sit extra stupri
patientiam honestæ vitæ & famæ, quia eam præter semi-
plenam probationem juvat præsumtio, quod pudorem suum
non prostituerit, sed spe matrimonii concubitum admis-
erit. Mev. P. 3. D. 73. Berlich. P. 1. Concl. 54. n. 16. Heig. P. 2.
qv. 16. n. 34. seqq. Sed è contrario si stuprata matrimo-
nium ita non probaverit, & sit Juvenis qui stuprum pu-
ellæ vel viduæ honestæ illatum fatetur, at negat quod ma-
trimonium promiserit, etiam audiendus erit ille qui sese ad
purgatorium juramentum offert. Nam haec tenus præsum-
tionibus gravatus est, quod, quia fœmina honesta est,
eam is etiam honestiori affectu cognoverit, scil. sub spe
futuri matrimonii. Unde hanc præsumptionem elidere eum
oportebit juramento purgatorio Brunn. Jur. Eccles. L.
3. cap. 5. §. 8.

CAPUT V.

De effectu oblati & præstiti Juramenti.

I.

Oblatio non
legitimè fa-
cta rejici-
enda.

O Blatio & præstatio juramenti duo actus sunt à se invi-
cem distincti. Illa hanc præcedit, qvæ fit vel non con-
currentibus requisitis dum persona levius se ad jurandum
offert, vel quidem persona gravis, non tamen in licita
causa,

causa, aut quidem in licita causa, nullo tamen alio auxilio stipata v gr. quando fit oblatio ad juramentum suppletorium, nullà precedente semiplenâ probatione. His casibus judex oblationi non defert, nec offerentem ad præstationem juramenti admittere tenetur. Vel si oblatio omni ex parte legitime, & tunc ea operatur ipsam præstationem juramenti, ad quam judex offerentem admittere tenetur, quia petit legale juramentum, quod iurisprobant arg. L. 3. C. de R. C. Etenim si eum non admittat, gravat iurare paratum, ei que beneficium Legis denegat, inde ab ejus sententia appellare gravato integrum est Carpz. P. 1. C. 23 D. 2. & in Proc. Tit. 12. art. 2. n. 16. Fachin. lib. I. contr. 16. Ziegli. ad Lancell. l. 3. tit. 14. §. 34. verb. deferri partibus. Aliquando si videat judex, non opus esse præstationem juramenti, ut si nulla callumnia appearat, offerenti remittere potest, ne de calumnia juret, hoc tamen effectu, ut non præstitum pro præstito habeatur. Mev. P. 2. Dec. 324.

Quæ verò legitime fit operatur præstationem iuramenti.

II. Admissus ad jurandum debet loco & tempore statutis compare, & juramentum ad quod se obtulit præstare in ea forma, quam superior aut judex prescribit. Si post oblationem jurare detrectet, & probationibus conscientiam suam exonerare velit, audiendus erit cap. 3. §. ult. Si neque iurare, neque aliis probationibus uti velit, nihil obtinet quod intendit, sed causa sua cadit L. 2. §. 6. & Auth. *Principalis C. de iuram. proprie. calumn. Vinn. 1. select. qn. 43.* si reus sit, pro convicto habetur aut arbitrariè puniendus c. 10. inf. c. 15. X. de Purg. Canon Brunnem. Proc. Civ. c. 23. n. 36. Nonnunquam re ita exigente præcisè ad jurandum cogendus offerens, aut graviori poena afficiendus.

Recusans iurare, nisi probationibus statutis causa sua cadit.

III. Si ab offerente juramento præstitum fuit, pro eo generalis præsumptio oritur, quod salutis sternæ memor veritatem dixerit. Fluunt præterea exinde insignes effectus & privilegia nempe quod omni controversiæ finis imponatur ad Hebr. VI. 16. L. 1. ff. de Jurej. quod jurans obligetur ad servandum id, quod promisit, excludatur omnis suspicio omnisque defectus solennitatis suppletatur Berlich P. 1 Dec. 81. n. 14. Præstio juramento reus non obstatibus contrariis præsumptionibus definitivè absolvitur, tam quoad causam principalem, quam quoad expensas & alia accidentia Mev. ad Ius Lubec. P. 5. tit. 8. art. 1. n. 9. Habet illud vim rei judicatæ L. 8. C. de R. C. Setser. de iuram. l. 4. c. 7. n. 25. & paratam secum afferit executionem ad instar gvarantigati & recogniti instrumenti Hahn. ad Wef. tit. de jurejur. n. 15. Carpz. P. 3. Dec. 229. n. 3. Judex velut exceptionem præstii iuramenti ex actis apparentem

Qui sunt effectus præstii iuramenti.

F

velut

42 CAP. V. DE EFFECTU OBLATI ET PRÆSTITI JURAMENTI.

velut jus ex officio supplere potest Beatus de Jurej. ad L. Nam posteaquam
S. si damnetur n. & i. Juramentum removet presumptionem calomniae, facit
victum ab expensis absolvit, datam alteri fidem obfirmat, & qui sunt alii ef-
fectus præstiti juramenti, de quibus omnibus ex professo egit Seraphi-
nus de Seraphin. JCus Senensis de Privil. Jurament. per 101.

IV. Sintne verò tanti hi & alii effectus, ut post præstitum juramentum,
si contraria instrumenta vel alia probationes reperiantur, causa de novo
agi non possit? Negativa sententia hac ratione defenditur, quod jusjurandum
vix transactionis & rei judicata habeat L. 1. & 2. ff. de jurej, nulla
verò transactio pretextu instrumentorum postea repertorum rescindi po-
test L. 19. C. de Transact. L. 4. C de re jud. vid. Faber Ration. ad L. 31. ff.
de Jurej. Verum qualis qualis sit hæc ratio, tanta tamen non est, ut vincat
contrariam sententiam, quæ ex aperta L. Admonendi 31. ff. de Jurej. pro-
batur, ubi notabiliter distinguitur inter sententiam latam ex juramento ju-
diciali à parte parti delato, & inter sententiam, quæ ex juramento legali
suppletorio vel purgatorio lata est. Illa irrefractabilis est, ob dictam ra-
tionem, hæc retractari potest, si Juret contrarium probaturos, quod de-
num post præstitum juramentum legale nova repererit instrumenta c. Pa-
boralis 4. X. de Except. vid. Schilter Exerc. ad ff. 23. §. 43. seqq. Ratio hu-
ius sententie est, quod juramentum ex necessitate tanquam ultimum reme-
diu[m] ob inopiam probationis electum sit. Quod si ergo post illud aliæ ac
nova subministrarent probationes, quæ defectum prioris probationis
supplent, & rei veritatem aliter ac per juramentum factum demonstrant,
res ipsa ad non causam redit necesse est. Unde jam ob cessantem causam
fine qua quis absolvit vel condemnari non potuit, sententia amplius valere
non poterit, sed ejus vis ex nova superveniente probatione rescinditur, &
in nihil redigitur Carpz. P. 1. C 15. Def. 5. Mev. ad Jus Lub. d. l. n. 9.

V. Adhuc videndum, si contingat oferentem se ad jurandum fatis ce-
dere ante præstitum juramentum, an habeatur pro præstrio, ad conseq-
uentium effusum, quem intendit jurare paratus? communis sententia, quæ in
Praxi recepta, id affirmat, quia nemo in peccato mendacii mori velle,
sed potius quilibet moriens salutis suæ memor decedere præsumitur L. fin. C. ad L.
Jul. rep. Carpz. lib. 6. Resp. 120. Cothmann. Vol. 1. Consil. 18. n. 189.
Verum quia ob malitiam hominum etiam non omnis moriens sit Johannes Evan-
gelista, & potest alio tempore salutis suæ esse memor, alio non, alter senten-
tiæ istam non admittimus, quam si à superiori delatum sit intentioni jurare pa-
rati, & in re ejus, antequam in judicio juravit, supervenerit, itaç persona sit fide
digna, quæ ad mortem constans jurandi propositionem retinuit. Alias mors quidem
præsumptionem inducit pro moriente, sed tamen pro vero juramento non haberet
Mev. P. 4. Dec. 362. Müller. ad Struv. p. 1088.

S. D. G.

An ob reper-
ta contraria
instrumenta
juram. inscr.
metur?

Anjuramentum
in oblatum
tradatur pro
præstito mor-
te offerentis
intervenien-
te?

ULB Halle
004 821 785

3




56.

VBN8



B.I.G.



6.

A3 258

Q. F. F. S.

27
DISSE^RTAT^O JURIDICA
DE
OBLATIONE
AD JURANDUM FACTA,

Quam

Occasione L. Ait Prætor 3. pr. ff. de jurejur. &
L. 4. §. 1. ff. de in Lit. jurand.

SUB PRÆSIDIO

VIRI Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimi

DN. SAMUELIS FRIDERICI
MÜLLENBERG,

J. U. D. Eiusdem ac Historiar. Prof. Publ.
& Athenæi Inspectoris,

Patroni atque Studiorum Promotoris eā, quā par
est reverentiā colendi & devenerandi

IN AUDITORIO ATHENÆI MAXIMO

D. V. Maii Anno M DCC VII.

Disquisitioni Eruditorum Publicæ
submittit

KÖNIGFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE

DANIEL VIRCHO, Falcob. Neomarch.

Alumnus Vøgedingianus.

GEDANI, Typis JOHANNIS ZACHARIAE STOLLII,
ATHEN. TYPOGR.
Disp. XV.

